



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum  
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de**

**Leodii, 1685**

IV. Verbum. Facere facienda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

## I V. V E R B U M.

*Facere facienda.*

**D**Eclina à malo peccati timore,  
 Dei tui, & fac bonum amore  
 ejus, qui prior dilexit te: Bo-  
 nus eris, & Beatus in Deo tuo: qui  
 cum sit optimus omnem iniquitatem,  
 odio habet; & diligit justitiam & æqui-  
 tatem: peccatum est iniquitas, om-  
 nium malorum aliorum, corporis &  
 animæ origo & causa: amor Dei est,  
 æquitas ipsa, omnium bonorum fons  
 cœlestis; nihil tam malum ac pec-  
 catum, quo animâ à Deo suo  
 separatur. Nil sic ama ac Deum  
 tuum, cætera propter ipsum, dili-  
 ge Dominum Deum tuum ex toto,  
 propter ipsum super omnia, & proxi-  
 mum sicut teipsum propter Deum, si-  
 cut Christus dilexit nos; in his duo-  
 bus, continentur omnia facienda, qui  
 sic diligit, omnem legem implet, quia  
 perfecta dilectio est omnis legis pleni-  
 tudo, omnia præcepta decalogi: &  
 quæ ad receptionem Sacramentorum,

T



ac orationis exercitium, spectant omnia Christi consilia, omnia Ecclesie Christi mandata & Christianæ pietatis exercitia, ab his duobus mandatis procedunt: & ad illa referuntur, ut securius, constantius, & perfectius observentur; unde his recensitis, adjecit Christus, hoc fac & vives: id est, sapiens, justus, & beatus eris in Deo tuo.

Perfectus amor Dei, & proximi in Deo usque ad contemptum nostri, id est, veteris hominis cum actionibus suis, hæc est consummata justitia Christiani in statu viæ constituti. Hanc ideo dilectionem, vocat Paulus vinculum perfectionis: id est, perfectæ actionis, quâ Deo arctissimè uniuntur viatores: sed non erit omninò absoluta, nisi in statu comprehensoris, quando Deum videntes, sicut in se est, sic ex toto diligemus, & illi inhærebimus, tam fortiter ac suaviter, ut nulla omninò creatura possit, nos ab ejus amore separare. Cæterùm ad hanc perfectionis Christianæ metam, tendere sic debemus, ut illam tandem Deo adivante comprehendamus, in tempore enim inutiliter vivitur, nisi ut acquiratur



meritum, & de virtute, in virtutem  
crescatur, quo in Beatâ Æternitate,  
eò gloriosius & beatus vivatur, quò  
Deus, & proximus in Deo amato ar-  
dentius diligitur.

## V. VERBUM.

*Expectare expectanda.*

**B**Eati, qui sic timent à judiciis  
Dei, ut quotidie ad gloriosum  
omnium Judicis adventum, se  
præparantes: diligant & expectent  
illum venientem, cum potestate ma-  
gnâ & majestate. Omnes Christi mili-  
tes, qui in Christum JESUM credi-  
derunt, in ipso renati sunt: magno  
ejus Sacramento, cibo grandium, ro-  
borati sunt, nomen ejus invocaverunt,  
peccatum odio habuerunt, divinae ejus  
mandata servaverunt, & legitimè cer-  
taverunt: quid aliud desiderare, &  
expectare ab optimo, & potentissimo  
remuneratore possunt, nisi coronam  
illam justitiæ consummatæ, quam red-  
det in illa die justus Judex, omnibus  
qui diligunt adventum ejus gloriosum?

T 2